



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

V. Die Ianvarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

scribens officijs, ad lances more consueto. De illo alicubi ad concionem dicente, Religiosus quidam magna virtutis, ecquis esset, percontatus, dixit se diuinitus accepisse (sic litteræ Aragoniæ ad verbum) Ideoque certum sibi, hunc ipsum Societatis Iesu Patrem, cælesti Patriæ ciuem esse designatum. Alius è S. Francisci familia, vir sanctimonix ac doctrinæ nomine insignis, apud Antistites ita de P. Michaële (vt Archiepiscopo ipse nominatim explicuit) locutus est: Paucis retrò annis ex hac vita migravit è Societate quidam, cuius anima cæli regna conscendens obuios habuit DEIPARAM, Apostolorum Principem & B. Ioannem, Sanctum denique Patrem Ignatium. Gestabar veneranda DEI Mater suis ipsa manibus coronam, quâ mox felicem illam animam honoris ergò donauit.

Predestinatio.

Mors.

*B. V.
S. P. Ign.
Sancti.*

VINCENTIUS DE RÖCHA SCHOLAST.

*Lusitanus.
Eboræ. 4.
Jan. 1610.*

VITÆ prius quàm philosophiæ curriculum absoluit. Quarto ante mor-

tem die, sanus tum adhuc, breui se moriturum dixit. Inter morbi difficultates dicebat: non sat est Domine, non sat est. Mortem nuncianti, amplexum & cilicium, quod sub cervicali habebat, dono dedit lætus. Quotidie per mediam horam coram SS. Sacramento in templo orabat. Cubitum iturus, prius ad singulas per cubiculum imagines adibat, & Sanctos illos de genibus, veluti vale faciens, salutabat. Per Aduentum totum non minus arcto ieiunio se afflixit, quàm postulet vernum Quadragesimæ Ieiunium. In se flagris & modis alijs animaduertendo, nunquam sibi fatiscere posse videbatur. Lucida illius modestiæ suauitas Academiæ totius oculos delectabat, seu dicendum illi esset aliquid seu silendum. Illud magni & felicitis signi instar habitum, quod eâ die, quâ è paterna domo se in Societatem recepit Vincentius, luculenta fax hac atque illac domum illustrans, & istic velut obambulans, spectantibus id Vincentij parentibus, luce multâ domum occupauerit, ardentis ac lucentis Vincentij documentum.

Morbus.

Mortis desid.

*Eucharistia.
Vesper.*

Sancti.

Mortif.

Vocatio.

Novitius.

V. DIE IANVARIII.

EDWARDVS DE SILVA. COADIUT.

*5. Ianuar.
Lusitanus
Tacafci in
Iapon. 1564.
ætat. 37.
Fidei.*

Socius S. Xauerio dilectus, primus fuit qui Iaponicam Grammaticam Lexicæque copiosè composuit magno Sociorum vsu. Funaij vnico baptismo ab illo centum è primoribus & triginta lustrati. Aiunt cum à Rege Bungi ampla potestas fuisset facta fidei Christianæ quaqualibet propagandæ, Eduardum occasione tam nobili flagrantius imminentem effusè in

eos labores incubuisse, cibi, potus, quietis propè omnis immemorem, indeque morbum mortemque traxisse, primum qui in Iaponia vitam in sudore glorioso posuerit. Scribunt Socij, illum omnem sæuitiam inenarrabiliter in se afflictando exereuisse; tam fuisse feruentem, vt Ludouicus Almeida scribat, neminem adhuc ei parem à se conspectum. Pater verò Melchior Nunnez vocat hominem consummatæ virtutis.

Mortif.

P. IOAN-

P. I O A N N E S
M A L D O N A T U S.

Hispanus.
Romæ. 5.
Ian. 1583.
Mors.

Hic Romæ mortuus in lecto re-
pertus est, anno 1583. Ian. 5. sed
morte ad quam se probè compararat.

Commentarios in 4. Euangelia scri-
bere meditanti per noctes aliquot ad-
fuit quispiam hortator, qui illum imp-
pense incitabat ad opus flagranter
prosequendum, & addebat fore vt
operi supremâ impositâ manu non diu
esset superstes futurus, simul certam
partem corporis digito indicabat. Ne-
glexit hæc, vt vana somnia, Maldona-
tus; rei tamen veritatem intellexit,
cum commentario exantlato & anno
1582. Decembris 25. ad Præpositum
Generalem deportato, dolore acerrimo
vrgeri se pensens eo in loco, quem
olim nocturnus ille monitor indica-
rat. Solenne illi fuit quotidie præsti-
tutis eam in rem quinque temporibus,
quinque mortem sibi ob oculos po-
nere, ac seipsum introspicere numquid
esset quod sibi morienti aliquid anxie-
tatis posset afferre. Si quid artis oc-
curreret ad tollendum, tollebat sta-
tim; vt sibi leuamento quàm posset
optimo pro necessitate illa vltima
prouideret. Fuit, qui dum Særis pro
illo ad illius corpus operaretur, ma-
gnam humanarum rerum tædium &
magnum Socieratis incundæ sibi esse
iniectum desiderium senserit, id etiam
postea executus.

Mortis
causæ.

P. I V L I V S.
F A T I U S.

Neapolita-
nus in mon-
te Regali.
Ian. 5. 1596.
B. V.

DEIPARÆ Matri mirè addictus,
cuius Angelicâ salutatione reci-
tatâ è mortis præsentissimæ periculo
mirum quendam in modum est libe-

ratus, cum etiam tum puer in mare
decidisset; cuius amori Senex librum
conscripsit dicatorum MARIÆ dicrum
mysteria continentem; cuius obse-
quijs, & Societati Beatum Stanislauum
Kolskam & Claudium ac Rudolphum
Aquauinam Nouitios in spiritu edu-
cauit, Romæ illorum Magister. Cru-
cifixo immoriens illa sæpius iterabat:
Inter brachia Domini mei! mei! mei!
& viuere volo & mori cupio!

P. P E T R V S
T O R R E N T I N V S.

BRUNÆ magno sanctimonie nomi-
ne celebratus, & magnâ orandi,
dulcissimè gubernandi, doloresque
acerbissimos patiendi virtute præstans
obiit.

Brunæ. 5.
Ian. 1615.

Atunt cadauer illius per ipsos 30.
annos fuisse incorruptum, ac etiam-
num esse.

P. I A C O B V S
G R A N A D U S.

GRANATÆ mortuus, cum examinis
particularis accuracionem vsque
ad 4. Ian. perduxisset, torâ vitâ quo-
tidie ad illud attentus. Inter sacrifi-
candum, & orandum, lachrymis &
miris quibusdam donis cælestibus af-
fluebat, quæ scripto ad Confessarium
afferens, addebat; ora pro me, & tace
pro me. Illustris illi facies aliquando
conspecta, & oratio tam attenta, vt
Marianum Rosarium recitans non ad-
uerteret strepitum portæ cubiculi, vel
cuiuspiam conclaue ingressi. Quoti-
dianâ flagellatione in se animaduerte-
bat, habebatque Ephemerides bene-
ficiorum à Deo acceptorum. Sunt qui
dicant illius post mortem, salutem
reuelatam; illum de sua salute certum.

Hispanus.
Granatæ.
5 Ian. 1612.
ætat. 60.
Examini
partic.

Oratio.

B. V.

Mortis.

B 2 reddi-

redditum adhuc in vita; illos item non perituros pro quibus ipse preces cum lachrymis effudisset. Habent & alia plura in illo admirabilitatem, sed nos hic imitatricem potius virtutem que-

rimus, quæ in Granadi magni theologi doctissimâ virtute habet plurima quæ confectetur. Eius vita in annum 1632. plura de illo dabit.

VI. DIE IANVARIII.

P. ALPHONSVS DE CASTRO.

Lusitanus.
In Molucis.
Ian. 1558.

Mortific.

Fides.

Patientia.

Crux.

VLyssiponæ aurifice Patre locuplete natus, à S. Xaverio in Societatem receptus, inter varia quæ à Barbaris pertulit, cum fidem propagaret, mansuetudine fuit omnibus admirandâ. Cibo vescabatur sine oleo, sine sale, ne palato placeret. In Maurica regione à Mahometanis nudatus, & nauigio crucifixi instar alligatus, postea ad truncum vincus, verberibus laceratus, sub dio cæli iniurijs, ac infestis bestiolarum aculeis toto corpore expositus, promissis & crebris & grandibus ad Mahometi perfidiam inuitatus, cum fortissimè id negaret, iterum cruciatus, per octo dies inediâ miserabili vexatus, atque ad fidem deserendam iterum multifariam per dulcia & acerba inuitamenta tentatus, admirabili semper sibi compositis animi æquitate, constantiâ, hilaritate, capitis sententiam, & mortem ipsam ore blando, ac orans accepit. Araldus ait, cum S. Andrea instar cruci alligatum, nudum Soli, ac muscis expositum. Deinde sub costis securi saucio additi alij duo ictus. Cadaver ex littore in mare deturbatum, tertio die in eodem littore iterum repertum est splendens miro lumine, ac vulneribus sanguine recenti manantibus. Aiunt oculati testes idem cadaver in scopulo per dies plures sedere visum, aquis in fornacis serè modum

supra curuatis. vnde illi admirabilitas, & apud Mahometanos etiam veneratio haud vulgaris; Rege quoque, magnitudine animi eius auditâ, dicente: *Quid simile nostri Caziquij?* Carnificum alij pustulis scedè excisi, & sacro igne ardentibus, vrlantibusque, alij aliter perière. Is qui sacrum eius calicem indignè tractauit, corpore miserè tumido extinctus est. Addunt etiam hos dum interirent, Alphonsi nomen implorare auditos.

IOANNES MESEGVER. COADIUT.

Hic nocte intempesta sanus licet, interno tamen quodam instinctu Maioricæ ad Superiorem adiit, & poenitentia ac Eucharistia Sacramentis ad mortem sibi iam iam imminentem communiri enixè petijt. Illis perceptis ad cubiculum redijt, vbi Medico nullum isthic, nisi phantasiæ, morbum esse dicente, hodiè requieuit in pace.

6. Ian. 1580.
Hispanus.
Maioricæ.

Mors.

IOANNES DIAZ COADIUT.

IN Philippinis Insulis. Dulachium missus, frigore, fame, naufragio squalidus, hodiè interijt. Tres tempestati superstites, aiunt illum cum alijs, 6. dies calamitosè iactatum, tertio post naufragium die illis ærumnis inter-

Hispanus.
6. Ian. 1631.